

0000 A 231  
6

Just.  
III. C. 1.

Quarto N. 521.

Landesbibliothek  
für Sachsen-Anhalt  
Halberstadt  
Postfach 100000

J. VI, 883.

~~III 42 J IV. 5~~



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30



Notae in Volumine Legationis

1. De ritibus sepaleralibus christianam fidem indicantibus
2. Antiquiores Rom: Eclerice variationes circa s. eucharistiam facte
3. Ministrorum ecclesie apud veteres christianos que sortitionis designatio
4. Historia congregationis Cardinalium de propaganda fide
5. De antiqua ratione compellendi episcopos per coronam
6. De Bullarum indulgentiarum pontificiarum antiquitate fucata.
7. 8. Secunda et tertia disp: eisdem argumentis
9. De traditoribus
10. De electione et inauguratione Rom: Pontificis disp: 1.
11. et secunda
12. De materia et forma crucis Christi
13. De Versione LXX interp: quo tempore illa fuerit adornata!
14. De vita s. Martyris Adalberti +
15. Animadversiones in annales ecclesiasticos Baronii
16. 17. De Vita s. Timothei particula I. et II. Harnie 1721.
18. De religionis ante 60 annos in Saxonia statu
19. De lumine sibi sepulchri commentatio Jo. Laur. Morhemii 1756.
20. Habitus priorum seculorum idololatrie Romanorum iudices
21. De concordantia Henrici IV et Calixti II de investituris episcoporum et abbatum
22. Historia Arteniensis et Arteniensium
23. De dilatione baptismi disp: Historica
24. Antiqua religionis christ: inter Hungaros ecclesie orientali adserta
25. Pastoralia
26. De montanismo, et ecclesie et reip: olim peste
27. De purpura sacre dignitatis insigni
28. De Maria virgine
29. De s. coena a laicis administranda
30. An liceat Theologo evangelico peregrinanti Pontificiorum sacris interesse!

31. Oratio secularis in jubileo ecclesie et academiae hupriensis  
32. De Melitone Sardinum in dno episcopo.  
33.

SE  
C  
  
IO  
SS.  
C  
  
M



DISSERTATIO THEOLOGICO HISTORICO MORALIS  
SISTENS  
MINISTRORVM ECCLESIAE  
APVD VETERES CHRISTIANOS  
OPE SORTITIONIS DESI-  
GNATIONEM.

---

QVAM

PRAESIDE

VIRO SYMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
LONGEQVE CELEBERRIMO

SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL. ORD.

SEMINARIJ THEOL. DIRECTORE, MENSARVM REGIARVM EPHOKO, ACAD.

SCIENT. QVAE BEROLINI EST SODALI

PRAECEPTORE PRAECLARE MERITO  
FAVTORE OMNI QVO PAR EST OBSEQVIO  
AEVVM PROSEQVENDO

PVBLICA IN DISQVISITIONE

D. APRIL. MDCCL. INSTITVENDA DEFENDET  
A V C T O R

FRIDERICVS WILHELMVS CARSTED.

POTSTAMPIENSIS MESO MARCHICVS. SANCTIORVM DISCIPLINARVM STUDIOSVS.

---

HALAE PROPTER SALAM,  
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

DISSERTATIO THEOLOGICA HISTORICO MORALIS  
SISTENS

MINISTRIORVM ECCLESIAE  
APVD VETERES CHRISTIANOS  
ORBIS ORIENTATIONIS DESI-  
GNATIONEM

PRÆSIDI



SIGISM. IACOBO BARTHOL. GARTEN  
S.S. THEOL. DOCTORE. EIVSDEMQUE PROFESS. PUBL. ORD.

PRÆCEPTORE PRAECLARE MERITO

FAVTORE OMNI QVO PAR EST OBSERVIO

FRIDERICVS WILHELMVS CARSTED.

EX OFFICINA HILFERRIANA





VIRIS  
SVMME PLVRIMVMQVE  
REVERENDIS  
DOMINO  
IO. VLRICO CHRISTIANO  
KOEPPEN,

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI IN SVPREMO RERV  
SACRARVM TRIBVNALI A CONSILII, AVGVSTISSIMAE RE-  
GIAE MATRI A CONFESSIONIBVS, PRAEPOSITO IN AEDE  
S. NICOLAI, ET GYMNASII BEROLINENSIS EPHORO  
GRAVISSIMO.

DOMINO  
GEORGIO CHRISTIANO  
HAINE,  
ARCHIDIACONO.

NEC NON  
DOMINO  
IOANNI ERNESTO  
KVEHZE,  
ITIDEM  
DOMINO  
GEORGIO FRIDERICO  
LVEDEKE,  
DIACONIS IN LAVDATA S. NICOLAI AEDE  
DIGNISSIMIS,  
VIRIS DE CIVITATE CHRISTI DVVVM MERITISSIMIS,  
FAVTOIBVS SVIS OMNI QVA PAR EST  
OBSERVANTIA PROSEQVENDIS  
LEVIDENSE HOC MVNVS  
VTPOTE  
GRATISSIMAE MENTIS TESSERAM  
PRO  
INSIGNIBVS PER BIENNIVM COLLATIS IN SE BENEFICIIS  
OFFERT  
OBSERVANTISSIME  
DISSERTATIONIS AVCTOR.



**V**ix ac ne vix quidem vereor,  
ne vitio mihi tribuatis, **VI-**  
**RI SVMME PLVRIMVMQVE**  
**REVERENDI**, quod si **VOS** per  
praesentes literas a grauioribus, qui-  
bus **VOS** obrutos esse noui, sacris la-  
boribus paullum auocare ducam in  
animum. Spero potius fore, vt sin-  
gularis **VESTRÄ** in me beniuolen-  
tia, mihi veniam, hac in re for-  
sitan delinquenti, facile indulgeat;  
ipsumque dissertationis praesentis ar-  
gumen-

);( 3

gumen-

gumentum ita, vt confido, comparatum, vt attentionem nonnullam queat excitare. Equidem tantum abest, vt mihi persuadeam fore vt dignas deprehendatis attentiori perlustratione meas de eodem argumento, nostro praesertim tempore in controuersiam vocato, cogitationes, vt existimem potius varia obseruatum a VOBIS iri, quae dissertationi tum emendandae tum etiam locis in compluribus supplendae possint inseruire ceu amplissima instructis doctrina, cui depraedicandae pro, merito vires meae (at quam tenues) haud sufficient vniquam. Interim spes me tenet etiam, VOS ipsi huic scripto suffragia VESTRA haud plane denegaturos ceu Maecenates, qui desiderium iuuenum in disciplinis proficiendi incendere satagunt quauis ratione. Calcaria

caria autem addituri estis mihi, vt  
maius in dies collocem studium in  
sanctioribus, quibus hucusque inui-  
gilauī, literis, si me feceritis certio-  
rem, VOBIS haud prorsus displic-  
uisse quas hac in dissertatione exhi-  
bui meditationes, simul autem can-  
dide mecum communicaueritis, quae  
mereri limam VOBIS fuerunt visa.  
Quod superest obstrictissimum VO-  
BIS profitear necesse est animum pro  
eximiis voluntatis in me VESTRAE  
documentis omnem daturus ope-  
ram, vt pateat VOBIS, VOS apud  
inmemorem et ingratum tanta be-  
neficia haud posuisse. Deum denique  
numquam non venerabor, qui VO-  
BIS splendidisque VESTRIS domi-  
bus incolumitatem largiatur diuti-  
nam, indefessisque conaminibus VE-  
STRIS pro salute fidei VESTRAE  
com-

commifforum aeterna felices indul-  
geat et prosperos euentus, VOSque  
tum in familiarum VESTRARVM  
aestumatiffimarum, tum etiam totius  
Christianae ciuitatis ornamentum et  
folamen praestet in feram aetatem  
falvos et incolumes, cunctisque bonis  
admodum cumulatos. Ita valet, VI-  
RI SVMME PLVRIMVMQVE  
REVERENDI, FAVTORES BE-  
NIGNISSIMI, et fi me VESTRO  
amore indignum haud censebitis, fa-  
vere mihi pergite. Scripsi Halae pro-  
pter Salam. d. XXIX. Martij.

MDCCLI.





# CONSPECTVS.

## EXHIBETVR.

- §. 1. 2. *Occasio conscribendae dissertationis remotius petita a ritibus in ecclesia Zinzendorfiana vstitatis specieque imitationis antiquissimum rituum indutis.* §. 3. *Eadem sed propinquius desumpta ab usu sortium in eadem ecclesia frequentiori praecipue in designandis ecclesiae ministris.* §. 4. *Tractatio.* §. 5. *Definitio designationis verbi diuini praecorum per sortitionem.* §. 6. *Varii ritus in designandis antiquissimae ecclesiae doctoribus, eorumque causae.* §. 7. *Primi tempore noui foederis per sortitionem designati Matthiae vita.* §. 8. *Eiusdemque designationis occasio.* §. 9. *Iusti, Matthiae in apostolico munere competitoris, vita.* §. 10. *Apostolorum reliquorum ad ipsam designationis negotium praeparatio.* §. 11. *Ritus, quibus ipsa sortitio est administrata.* §. 12. *Sortitionis euentus.* §. 13. *Consutatae sententiae fidei Dionysii Areopagitae et G. Pachymeris nobis aduersae.* §. 14. *E scriptorum exigua nimium auctoritate demonstratae.* §. 15. *Sed et quodammodo excusatae.* §. 16. *Disquisitio sententiarum utrum hanc Matthiae designationem DEVS probauerit an minus.* §. 17. *Et quonam sensu dici queat eadem vel immediata vel mediata.* §. 18. 19. *H. Dodwelli fides adstructa negantis plures ecclesiae ministros ab apostolis per sortes fuisse electos.* §. 20. *Vnde explosa silitur Isidori Hispanensis sententia priori contraria.* §. 21. *Atque manuum impositionem ipsam hanc sortitionem haud excepsisse docetur.* §. 22. *Quam cum priori fuisse coniunctam aliquando in Hispania effecimus.* §. 23. *Clericorum nominis ortus a Matthiae per sortes designatione non deducendus*

endus. §. 24. Aduersus Zinzendorianos §. 25. Probatur ritum hunc imitatione dignum non esse, §. 26. neque sortitionem ipsam oraculi loco habendam; §. 27. tum etiam, pessime designationem *Matthiae* apostoli per sortitionem imitari eosdem, dum sortitionem adhibent, ( licet ipsi candidati dignitate sint inter se impares. ) §. 28. Quam fraudibus etiam permixtam deprehendi non nunquam docemus. §. 29. Conclusio.



## §. I.

Neminem esse arbitramur, quem lateat, Fanaticos quam plurimos ecclesiae christianorum antiquae ritus saepe vocare in patrocinium, omnemque mouere lapidem, vt instituta sua disciplinae, quae apud antiquissimos fidei christianae confessores obtinebat, apprime similia euincant. Primas qui inter eosdem facile tenet recentiori hoc aeuo ZINZENDORFIVS comes dudum omnem in eo fixit operam, cunctis vt persuaderet, ecclesiam a se conditam ritus primaeuae sub apostolis ecclesiae imitari strictissime, iisque de causis eandem dici mereri apostolicam. Quam belle vero ecclesia haec vestigiis primaeuae insilat faciemque eius exprimat, nos docuerunt viri de re sacra aequae ac literaria optime meriti celeberrimique S. V. PRAESES meus, WALCHIVS, FRESENIUS, BENNERVS, C. G. HOFFMANNVS aliique, quorum quidem scripta doctrinae solidissimae documenta haud indigent, quae commemorentur a me et collaudentur.

## §. II.

Equidem in animum non induxi, ingens ostendere



dere per omnia discrimen, quod ZINZENDORFIANAS inter et antiquiores cedit consuetudines; Vt enim taceam, dissertationem, quae artis attamen circumscribitur limitibus, prolixam nimis euasuram, id etiam extra omnem dubitationis aleam positum esse existimo, inutilem plane laborem susceptum a me iri, quo scilicet praestantissimi in omni eruditionis genere viri summa cum laude sunt perfuncti, cuique adicere quidpiam difficilior foret scribenda post Homerum Iliade.

Singulare potius hic exponere adgredior discrimen, quod praesenti dissertationi conscribendae suppeditauit argumentum.

§. III.

Constat videlicet inter plurimos, cunctis paene in rebus, quarum dubius videtur euentus, ecclesiae quam dixi antistites confestim vti sortitione, qua futuros casus diuinare se adfirmant, vt non solum pro oraculo per sortem definita reputent, verum etiam optimi seruatoris dubia in re sententiam sic explorandam statuunt.

Facile coniciis, qua specie et hunc induant ritum, sortium nempe prioribus post reparatam salutem seculis in ecclesia christiana vsu; apostolos enim per sortes summum numen rogare solitos, et eadem ratione responsa ab eodem tulisse. Imitari autem eosdem necesse adeo esse, vt neglecta sortitione sis incertus, an id quod susceperis etiam seruatori fuerit probatum. Electionem inprimis ecclesiae suae ministrorum, quam instituunt per sortitionem, eiusmodi

modi tumentur argumento, quod speciem antiquitatis nonnullam videtur praeferre; apostolos enim in deligendo qui Iudae substitueretur apostolo, eundem per sortes cooptandum esse recte iudicasse, atque sic, numini summo acceptam fuisse electionem, intellexisse. Argumentum profecto speciosum, si vel manifesto Dei suffragio firmatam vel dignam etiam possent ostendere, quam imitentur, institutam sortitionis ope apostoli huius designationem.

## §. IV.

Idem argumentum adcuratiores disquisitione dignissimum, vel ex iis solum, quae iam in medium protuli, abunde quilibet coniciet. Abunde idcirco crediderim etiam docuisse, quibusnam sim adductus causis de praeconum verbi diuini apud veteres Christianos designatione facta per sortitionem meditationes publico eruditorum examini submittendi. Equidem non diffiteor, fuisse quaedam, quae mutare mentem suadebant.

Obrulit enim sese mihi ex altera parte argumenti difficultas haud spernenda; ex altera vero scriptorum, *a)* qui de eodem argumento disseruerunt, copia.

Rem vero ubi pensitavi et curatius quidem, facile deprehendi tum superabilem esse operam, tum etiam scriptores quosdam eadem de materia dixisse *ως εν παροδω b)* ac neminem extitisse, qui luci exposuerit publicae, quam ficulneas proferant rationes ZINZENDORFIVS comes eiusque adfoclae, ministros ecclesiae per sortitionem definiendos esse statuentes,

entes, ex eo praesertim capite, quod veterum civitatis Christianae doctorum electionem Deus ipse cui-denti sic ratione probauerit.

Occupabitur ergo mea dissertatio tum in refel-lenda hac sententia, cui monumenta antiquiora mi-nime patrocinari docebo pro virili parte: tum et-iam in eo, vt euincam, ritum hunc ipsum ab apo-stolis aliquando vsurpatum nostro quidem tempore ZINZENDORFIANOS imitari pessime, vnde simul etiam patebit, per sortitionem cooptari licere verbi diuini ministros licet certa sub conditione.

- a) Scriptores exhibent longe celeberrimi Hamburgensium polyhistores  
I. A. FABRICIUS in *Bibliographia antiquaria* Cap. XIII. §. 21. et  
I. C. WOLFIUS in *Curis philologicis et Criticis in IV. Euangelia et Actus Apostolorum* ad. Act. I. 26; quibus adiungenda est praefi-  
de I. P. LYDEWIGIO habita *Dissertatio, de sorte suffragatoria ecclesiae, vom Priester Loos* Halae. 1714. itidem SKERLII cuius-  
dam *dissertatio, an electio sacerdotum fieri possit per sortes*, com-  
memorata in *Appendice Catalogi Bibliothecae Ioh. CYPRIANI* 1758.  
qui primo quidem loco collocandus fuisset Iosephus BINGHAMVS  
*origin. Eccl.* Vol. II. Lib. IV. Cap. I. §. 1.
- b) Huc pertinent v. c. Iuris Canonici scriptores nonnulli, et qui de si-  
gnificatu του κληρου integris commentationibus disputarunt e. c. H.  
DODWELLVS *Diss. Cyprian.* I. et I. G. PERTSCHIVS in duabus  
*dissertationibus de notione cleri genuina*: de quibus infra §. XVIII.  
et XXIII. dicturi sumus copiose.

§. V.

Ordinis requirit omnino ratio, vt ipsius per  
fortes designationis ministrorum ecclesiae curatam  
exhibeamus definitionem. Dicimur videlicet ali-  
quid *eligere*, quod si ex pluribus, quae nobis propo-  
nuntur, ad hoc vel illud praecipue determinamus  
arbi-

6      *Dissertatio de ministrorum ecclesiae*

arbitrium. *Ministrum* ergo *ecclesiae deligimus*, si ex duobus vel pluribus vnum excipimus, cui ministerium sacrum demandandum esse significamus; cuius constitutionis in adminiculum si calculorum projectionem aut similia signa adhibemus, *sortitione uti*, et conducto signo, cetera signa numero vincente notatum eundem demum *designasse* dicimur *sortitionis ope*. Optime vero istam competere definitionem electioni ministrorum in ecclesia Christiana primaeva per sortitionem factae, ostendemus deinde.  
§. XI.

§. VI.

Dignissima fide sacra recentioris foederis volumina, quibus certiore debemus rituum apud veteres Christianos notitiam, non eadem ratione omnes ad obeunda munera sacra designatos fuisse, perhibent. Ipso seruatore optimo ad coelites euecto, qui discipulos vocat ipse iisque capestenda iniunxerat munera Matth. XXVIII. 19. Ioh. XX. 21. necesse erat eiusmodi ab apostolis viros designari, qui praedicandae per orbem terrarum doctrinae salutari essent idonei apprime.

Arduum autem erat negotium, deprehendere quemquam, qui cunctis requisitis necessariis gauderet. Instructum enim esse oportebat eundem summa in Deum pietate, hinc singulari apud omnes auctoritate, paratumque omne caullationum, tormentorumue genus quin mortem denique summa cum ignominia conjunctam oppetere. Fieri proinde non poterat, vt soli vocationi, seruatoris instar rem permitte-

mitterent omnem. Primo enim intuitu de dignitate viri cuiusdam iudicium ferre non poterant indubitatum. Neesse hinc erat, vt hominis dignitatem rite explorarent, in qua scilicet rei totius cardo verte-  
batur; eaque satius cognita fieri demum poterat, vt muneri tanto praeficerent eundem.

Hinc enascebantur electionis varia genera, institutae potissimum (1) per sortitionem, (2) selectione primitiarum e conuersis gentilibus, (3) speciali mandato et inspiratione sancti spiritus, (4) examinatione et electione, obseruante doctissimo *Iosepho BINGHAMO* *a)* fusius de iisdem differente. Ex quibus omnibus vnica est per sortitionem designatio, vltterius iam sub examen a me vocanda.

*a)* *Origin. Eccl. Vol. II. Lib. IV. integro Capite I.*

§. VII.

Quod quidem ad viros spectat sortitionis ope in ministerium sacrum ooptatos, primus omnino est omnium, quem sic apostoli dignitatem adeptum refert Lucas in actis Apostolicis Cap. I. *Matthias*; cuius electio quum potioem sit occupatura in praesenti dissertatione locum, iuuabit sane ipsum nosse virum, adeoque de vita viri designationem eius praegressa et subsequuta nonnulla hic facere verba.

Equidem exiguam illius exhibet sacer codex notitiam, primam enim et vnicam huius viri mentionem iniicit, quod iam excitauimus Caput A& Apostol. primum; ex quo tamen adparet, praecipue vero commatis 21. 22. inspectione, *Matthiam discipulo-*  
rum

rum Christi quin et seruatoris ipsius vitam in terris degentis fuisse familiarem, adfiduumque eiusdem comitem. Sunt qui existimant, eundem numero septuaginta discipulorum fuisse adscriptum, de quibus Lucas Cap. X. 1. memoriae quid prodidit, et hi sententiam tuentur vero non abfimilem. Licet enim obiicias, plures ipsum seruatorem sequutos per omne tempus, quod ipse publica muneris demonstratione peregit, sola nimirum ductos rerum novarum cupiditate; vix tamen credere fas est, apostolos eiusmodi selecturos fuisse virum, quem eo nomine possent reprehendere aduersarii, quod grauius parum de causis Christum sit sequutus, sed ipse potius sedulo fuisse dispiciendum, vt sanctitatis conspicuum studio singulari deligerent apostolum, ne gentilibus aequae ac Iudaeis ad Christum iam conuertendis obiiceretur impedimentum, quo minus Christianam amplecterentur religionem. Septuaginta vero discipuli maximam saltem quoad partem itinerum Christi sese comites dederant, quod ipsum per tot, quae ediderat ipse miracula, cognouerant promissum vniuerso seruatorum. Hinc Christus, cui utpote κατὰ δεικνῶσιν fidem probauerant, non dubitabat, quin mitteret eosdem doctrinam de parta per ipsum aeterna felicitate nunciaturos. Luc. X. 3. 16. eosque dono miracula parandi instrueret Luc. X. 19. coll. 17. Quae omnia iam commemorata redderent vero admodum simile, Matthiam e numero fuisse septuaginta discipulorum, sin minus ad sententiam roborandam faceret EUSEBII auctoritas, qui

qui *Hist. Eccl. Lib. I. cap. 12.* Matthiam in censum septuaginta discipulorum retulit et iure quidem.

Reliqua, quae de vita a) et scriptis b) Matthiae circumferri solent, monumenta vel incertis vel etiam suppositis esse accensenda demonstrarunt *Tb. ITTIGIVS in selectis capitibus Hist. Eccl. Sec. I. Cap. VII. Sect. V. §. 28.* et qui de vita obituque Matthiae ex instituto egit *W. CAVEVS in Antiquitatibus Apostolicis Capite de vita S. Matthiae §. 4. p. 743.* seqq. versionis Germanicae, quae publici iuris facta est Lipsiae 1724. forma octava.

a) Huc pertinet *Matthiae apostoli vita* ex hebraica lingua, incerto interprete versa, et *Historiae Christianae veterum patrum* R. L. de la BARRE Paris. 1583. inserta, de qua videatur sententia L. E. DUPINI, in *Nouvelle Bibliothéque des auteurs ecclesiastiques* T. I. p. 18. 19.

b) Eiusdem est notae *Euangelium Matthiae* commentitium, quod idem esse cum *fragmentis traditionum Matthiae* docet in *Spicilegio S. S. patrum* Sec. II. Tom. I. J. E. GRABIVS, qui eadem etiam c. CLEMENTE ALEXANDRINO exhibet p. 117 et 118.

### §. VIII.

Propius iam accedimus ad ipsam Matthiae designationem, cuius notanda cumprimis hic est occasio.

Constituendus erat nempe, qui Iudae Iscarioti, apostolo primum, deinde infelici optimi servatoris proditori, hinc ubi spem omnem de impetranda criminis tanti venia abiecerat, violentam fibimetipsi manum a) inferenti, succederet. Ex miser-

B

miserrimo enim huius viri obitu vndecim tantummodo supererant apostoli, paulo post, quam ipse seruator e terris discesserat, Hierosolymam reuersi, ac de constituendo, qui Iudae Iscariotis locum occuparet inter apostolos, maxime solliciti. Congregatis idcirco apostolis, Petrus singulari, vt videtur, pollens apud omnes auctoritate sermone peculiari reliquis etiam Christi professis nomen praesentibus ibidem declarauit, iam in eo esse, vt Iudae mortuo apostolum sufficerent alium dignum omnino, qui tanto fungeretur munere.

Equidem in dubio nos relinquunt Lucas ceterique sacri scriptores, an diserto seruatoris iussu, an sancti spiritus instinctu huc sese contulerint apostoli. Verum tamen, ex ipsa Petri oratione, et vaticiniis in eadem e veteri Testamento excitatis conici potest, singulari sancti spiritus impulsu inter apostolos de deligendo pro Iuda alio apostolo conuenisse. Oraculorum quidem alterum, ad quae prouocabat Petrus, e Ps. LXIX. 26. desumptum proxime omnes Messiae aduersarios adeoque et Iudam proditorem respicit; alterum autem e Ps. CIX. 8. allegatum, si Davidis etiam hostes respiceret (quod autem per insignem imprecationum cumulum ibidem occurrentium statui vix ac ne vix quidem licet) attamen typicum etiam admittit sensum, plurimis in Psalmis valentem; adeoque facile ad seruatoris optimi hostes, insidias eius vitae parantes, potest extendi, quorum praecipuus dici potest certa lege Iudas.



a) In varias discedunt sententias eruditi ipsum definituri mortis genus, ex quo vitam terminasse legitur Iudas. Alii enim et plurimi quidem suspendio periisse, alii vero summo animi moerore confectum contendunt eundem. Ingens maxime hac de re certamen pereruditos inter Bataunorum Criticos Iacobum PERIZONIUM, et Iacobum GRONOVIVM est coortum, quod in scripta etiam ex utraque parte vehementiora prorupit, de quibus consulendus est Th. ITTIGIVS in *selectis capitibus Hist. Eccl. seculi I. cap. VII. sect. V. §. XXVII.* et J. C. WOLFIVS in *Curis philologicis et Criticis in Novum Testamentum ad Matth. XXVII. §.* Mihi quidem a vero desicere non videntur, qui statuunt, vita semet ipsum priuasse Iudam manu ratione violenta corpori illata per strangulationem; quo sensu videlicet verbum *απαχεςθαι* Matth. XXVII. §. *απαχλεγομενον* scriptores quosdam profanos HIPPOCRATEM, ARRIANVM et AELIANVM adhibuisse testis est V. C. Chr. SCHOETTGENIVS in *nouo Lexico Graeco-Latino in nouum Testamentum* Lipsiae 1746. excuso. Maximam autem animi perturbationem *αυτοχεριως* huius causam extitisse vltro concedunt omnes.

§. IX.

Delegerunt autem apostoli viros ambo vitae morumque integerrimos; hinc apostolico munere ex arbitrio suo dignos adeo, vt plane haesitarent, quemnam praeferrent alteri; videlicet *Matthiam*, cuius vitam supra iam §. VII. exposuimus, et *Iosephum* dictum *Barsabam* cognomento autem Iudaeis haud incognito a) *Iusti* distinctum. Hunc autem numero septuaginta discipulorum b) antea fuisse adscriptum, forsitan et Iacobi minoris pluriumque apostolorum fratrem extitisse contendimus cum interpretibus paginarum sacrarum variis. Eadem enim argumenta, quibus id verosimili ratione de Matthia euicimus, optime profecto etiam quadrare videntur in Iustum. Locus enim supra iam ex *Act. Apost. Cap. I. v. 21. 22.* a nobis excitatus docet, Iustum

stum etiam peculiarem coluisse cum Christo eiusue discipulis amicitiam peraeque ac Matthiam.

Reliqua ad vitam Iusti pertinentia, praesertim ex quo tempore spe exciderat obtinendi muneris apostoli, tacent quidem sacri codicis scriptores; attamen dubio procul eadem maximi non fuerunt momenti; alioquin enim eorundem Lucas vllam saltem fecisset mentionem: Interim, vt vt se res habeat, in eo certe labi haud videmur, opinati, Iustum ad obitum vsque doctrinam, quam semel verissimam cognouerat, Christianam perpetuo confessum, addo et alios a Christo alienos excitasse, vt nomina sua eidem profiterentur. Occurrunt equidem qui nomine Iusti insigniti fuisse perhibentur Act. XVIII. 7. Coloss. IV. 11.; sed eosdem a nostro probe distinguendos esse vel inde liquet, quod alter solo Iusti nomine gauisus esse dicatur, alteri vero Iesu cognomen etiam Iusti tribuatur. Quae EVSEBIUS *Hist. Eccl. Lib. III. Cap. 39.* prodidit memoriae, Iustum eundem, de quo nobis hic est sermo, lethale poculum absque noxa ebibisse, sola nituntur scriptoris eiusdem fide; an pro certis sint reputanda, aliorum facio iudicium.

a) Sic in **כרשת רכא** *sect. VI. fol. I. 1.* Iusti cuiusdam viri docti fit mentio.

b) Posset nobis obiici, neque Matthiae neque Iusti nomina deprehendi in indice nominum septuaginta et vnus discipulorum, quem a Dorotheo quodam contextum esse constat. Sed nullius tiam auctoritatis et fidei hunc esse indicem viris doctis est obseruatum. *Conf. Th. ITTIGII selecta capita Hist. Eccl. Sec. I. Cap. VII. sect. VI.*

Ficto huic indici testem opponere licet EVSEBIUM, fide omnino digniorem, qui et hunc Iustum vnum fuisse contendit e septuaginta discipulorum numero. *Hist. Eccl. Lib. I. Cap. 12.*

§. X.

Diximus hucusque satis de Matthia et Iusto, muneris apostolici competitoribus: sequitur vt exponamus, qua ratione apostoli reliqui duxerint instituendam futuri ex his viris apostoli designationem. Atque hic primo collocandum est loco, Deum precatos esse apostolos, prius quam ipsa vterentur sortitione, id potissimum a summo Numine contendentes, qui demonstraret, quem nam Iudae loco substituendum esse apostolum iudicauerit. Act. I. 24. 25. Soli adeoque iudicio suo fisci non sunt apostoli, sed arbitrio diuino rem permiserunt omnem, quod optime hac in re definiturum esse sibi persuaferant: sperasse eos, fore vt miraculosa ratione Deus precibus his respondeat, atque quum adhiberent sortitionem, oraculum etiam per eandem edat, vix est verosimile; videntur, potius precati fuisse maxime de obtinenda rerum futurarum certitudine maiori. Ipse enim seruator hoc nomine preces discipulis meliori de nota commendauerat Marc. XI. 24. Vnde patet, apostolos non per sortitionem sed potius per fusas ad summum numen preces certitudinem hanc obtinendam statuisse, atque etiam adeptos. Facit in hoc mecum CHRYSOSTOMVS *Homil. V. in priorem ad Timotheum epistolam*; cuius haec sunt verba: οὐδὲ οἱ ἀποστολοὶ πνευματικῶς μετερχόν, ὅτε τὸν Ματθίαν ἐξελέξαντο, ἀλλ' εὐχῆ τοῦ πρῶτου ἐπιτρέψαντες ἐγκατελέξαν αὐτὸν τῷ ἀποστολικῷ ἀριθμῷ. Adeoque vix a nobis quispiam dissentiet statuentibus, preces easdem praecipui momenti loco in ipsa, de qua loquimur, designatione habendas esse.

## §. XI.

Ipso iam numine supremo per preces implorato, sortes proiecerunt s. dederunt apostoli, *εδωκαν*, inquit Lucas, Act. I. 26. *τους κληρους*. De qua fortitione prius quam loquamur, ac ritibus in eadem obuiis, iuuabit omnino de significato vocis *του κληρου* vario nonnulla protulisse in medium. HENRICVS STEPHANVS typographus olim Geneuensis celeberrimus graecique idiomatis callentissimus, e scriptoribus tum sacris tum etiam profanis studiose congestit significatus vocis complures in *Thesauro linguae Graecae Tom. II.*, a I. G. KIPPINGIO V. Cl. in *pleniori assertione nominis Cleri ministerio sacro diuinitus impositi* Helmstad. 1750. ex eodem repetitos, p. 65-69. Docet is, *κληρον* denotare scriptoribus praecipue sortem, tum quae sorte obueniunt v. c. haereditatem, haerediolum, s. praedium, ecclesiam Dei, coetum sacris functionibus vacantium, denique etiam dici de agris quae sortito cuique obtigerint. Addunt V. Cel. I. G. PERTSCHIVS in *diff. I. de notione vocis Cleri genuina* KIPPINGII *pleniori assertioni* inserta §. 4. 5. intelligi quoque per *κληρον* limites aequae ac numerum et ordinem; et Petrus de MARCA Archiepiscopus olim Parisinus, munus publicum, in *Dissert. de Discrimine Clericorum et Laicorum e Iure diuino. cap. I. §. 3. seqq. referente* I. G. PERTSCHIO *Dissert. de notione vocis cleri genuina §. 2.* apud laudatum KIPPINGIUM l. c. Praesenti in dicto Act. I. 26. *κληρους* adhiberi de fortitione vel ex integra phrasi ibidem occurrente *διδουαι τους κληρους* potest diiudicari commode,

de, quae optime profecto quadrat in fortitionem. Obseruat autem H. STEPHANVS loco supra iam excitato concinne hic dici *διδουι τους κληρους pro βαλλεν τον κληρον*. Vtitur hac vltima phrasi Matthaeus XXVII. 35. milites, inquiens, super vestimenta seruatoris proiecisse sortes. Iam autem discrimen quoddam videtur esse statuendum inter sortis projectionem, de qua Matthaeus, atque sortium porrectionem, de qua Lucas differunt. Ambas attamen phrasas etiam fortitioni respondere, atque discrimen tantummodo a ritibus pendere diuersis persuasissimum habeo. Ad ritus quod adinet in Matthiae per sortionem designatione adhibitos H. GROTIUS in animaduersionibus ad h. l. existimat, stetisse duo vascula seu urnas, in quarum vnam nomina Matthiae ac Iusti missa, in alteram vero schedulae multae sint positae, e quibus alias literis vacuas, alias nomine apostoli inscriptas fuisse arbitratur. Alternis vicibus candidatorum vtrumque extrahendo schedulas perrexisse, donec nullae amplius essent in vna, et his factis rationem iniisse ceteros, vtri saepius fauorem testata fors fuisset; I. S. MENOCHIVS contra *Lib. III. de Republ. Ebr. cap. 7.* apostolos in sinum coniecisse sortes autumat; alii forte alios sibi fingunt ritus. In animo mihi non est agere hac de re hic iudicem, certi enim quidpiam definire non valemus; ipsa enim fortitio variis multisque ritibus est obnoxia.

Neque enim sacrae literae apertius eodem de argumento vllibi dicunt, nisi Prov. XVI. 33. vbi videlicet sortes in sinum proiici Proverbiorum auctor

stor innuit; Haec autem verba respicere ritus, qui tum in fortitione obtinebant, credere omnino fas est. Omnia potius ad coniecturas redeunt, haustas etiam passim e scriptoribus profanis. Confer, si lubet, H. STEPHANVM, loco supra commemorato.

## §. XII.

Exponendus nobis iam est fortitionis euentus. Sors, inquit Lucas, Act. I. 26. cecidit super Matthiam, eumque proinde solum definiuit apostolum, adeo vt spes amplius nulla Iusto affulgeret.

Observatu videtur haud indignum, Lucam Aetorum scriptorem hic non dixisse numero plurali *επεσαν οι κληροι*, sed numero singulari potius *επεσεν ο κληρος επι τον Ματθιαν*. Sed *ο κληρος* etiam loco *των κληρων* adhibetur a Matthaeo Cap. XXVII. 35. ex quo loco manifestum, exiguum saltem intercedere discrimen *κληρον* inter et *κληρος*, et sub *κληρω* etiam comprehendi, et quae fortitioni inseruiunt et ipsam fortitionem. Cumque *το πιπλειν* saepe etiam de improvise venire denotet in libris recentioris foederis v. g. Ebr. IV. 11. Iacob. V. 12. vim phraeseos *επεσεν ο κληρος* scite sic exprimeres: fortitio ipsa de improvise venit, s. schedulae fortitioni inseruientes consensere in Matthiam.

## §. XIII.

Excutienda nobis hic est quaestio, vtrum Deus O. M. hanc Matthiae designationem probauerit, an minus. Equidem cunctis in voluminibus Novi Testa-

Testamenti altum ea de re est silentium, neque enim vlla amplius mentio est iniecta rerum a Matthia gestarum, ex quo tempore munus apostoli fuerat adeptus. Certe nemo scriptorum antiquioris aevi ausus est in re nonnullis obnoxia dubiis pro certo vendere quidpiam praeter auctorem *hierarchiae ecclesiasticae*, commentitio DIONYSII AREOPAGITAE nomine famosissimum. a) Is ita vero disserit *Eccl. Hierarch. Cap. V.* Δοκεῖ μοι τὰ λογία κληρον ονομασαι θεαρχικον ἢ Δωρον, υποδηλεν εκεινω τω ιεραρχικω χωρω τον υπο θεους εκλογης αναδεδειγμενον. Eidem sententiae subscribit *Georg. PACHYMERES Dionysii huius scholiastes ad Cap. V. Dionysii Areopag.* εγω λεγω, συμβολον ἢ εξ αποκαλυψεως η ενεργηματος τε παναγης πνευματος πιστων επι τον κληρομενον ο κληρος ην. Quantum ex verbis his coniiicio, scriptores ambo videntur statuisse, Deum visibili ratione precibus apostolorum respondisse, atque hac ratione κληρον pro immediata vocatione Dei habendam. Ast sententia haec sola nititur scriptorum auctoritate tanto vilius pendenda, quo certius de scriptorum tum aetate constat, tum etiam exiguo eruditionis adparatu, quo instructus fuit inprimis fictus Dionysius Areopagita.

a) Auctorem hunc falso sibi vindicasse nomen Dionysii Areopagitae auctoris, quem Sec. I. vixisse scimus, et exiguam vel nullam plane mereri fidem, docte admodum demonstrarunt praeter *Joh. DALLAEVM Dissert. de scriptis quae sub DIONYSII Areopagitae et S. IGNATII Antiocheni nominibus circumferuntur*, L. E. du PIN nouvelle Bibliothèque des auteurs Eccl. Tom. I. p. 34-38. Nicol. NOYRIVS in adparatu ad Bibliothecam maximam patrum. Ph. BRIE

TIVS in amalibus mundi, FILLEMONTIVS, ceterique scriptores Pontificii, veteritatis studiosiores; renitentibus, licet frustra, Ctesare BARONIO, Natali ALEXANDRO, reliquis.

## §. XIV.

Quod quidem ad aetatem spectat scriptorum, id extra omnem dubitationem est positum, auctoris libri *de ecclesiastica hierarchia* aetatem in seculum post reparatam salutem quartum a) forsitam et in, seriora tempora incidisse, quibus in seculis multa sane monumenta seculi primi vel interiisse vel fabulis etiam fuisse commaculata b) habemus exploratum; quemadmodum etiam est certum, idem circa tempus fundamenta hierarchiae Pontificiae esse iacta, seculis in sequutis mirum in modum adaucta.

Ex quibus conficimus, scripta auctoris huius perexigua digna esse fide, in iis praesertim, quae ex acuo apostolico prodidit memoriae, qua quidem suspicione, in quam adducta sunt et iure quidem a plurimis, exsolvere se vix poterunt. *Georgium* PACHYMEREM scholiam scriptoris in antecedentibus dicti floruisse seculo demum post redemptum orbem millesimo trecentesimo c) constat, atque cum fidei Dionysii Areopagitae etiam sua superstruar, quam tamen merito dubiam euicimus, neque ipsi hac in re fides temere erit adhibenda.

a) Docte id ostendit L. E. DUPIN *Nouvelle Bibliothecque des auteurs ecclesiastiques* Tom. I. p. 34 - 38. cuius argumenta eo potissimum redeunt 1) quod auctor de mysteriis trinitatis ac natiuitatis Christi loquitur terminis vtatur seculo demum quarto vsitatis; 2) quod mentionem iniiciat baptismatis per antiquam traditionem confirmati. 3) Quod ritus in baptismo solemnes sic exponat, vti demum eodem



dein post persecutiones Christianorum inualuisse constat ; 4) quod templa exstructa in iisque sanctuaria a reliquis templi partibus distincta, itidem ritus circa energumenos, catechumenos et poenitentes obseruatos commemorat ferius dubio procul exortos. 5) Quod monachos institutos referat, quorum ordo tamen diu admodum post seculum primum in ecclesiam est introductus, utpote in quo omnia et singula conspirant monumenta antiquiora. 6) Quod suis maioribus varias acceptas referat traditiones, quas seculo demum quarto creditas esse constat, quarum in numero etiam est eiusdem auctoris sententia de sortitione, qua adlectus est Matthias.

- b) Laude in hoc argumento digna est J. A. SCHMIDII *Historia seculorum VIII. priorum fabulis maculata*, quae septem dissertationibus comprehensa prodit Helmstadii 1700-1714. 4to.
- c) De vita et scriptis Georgii Pachymeris agit L. E. DUPIN *Nouvelle Bibliotheque des auteurs ecclesiastiques Tom. X. p. 95.*

### §. XV.

Fac autem, ita se rem habuisse cum designatione apostoli Matthiae, pro ut scriptores ambo, quorum inieciimus mentionem, persuadere nobis conantur, sane etiam in eosdem onus probandi deuoluere nobis liceret, (quod idem etiam poscit Iosephus BINGHAMVS *Origin. Eccl. Vol. II. Lib. IV. cap. I. §. I.*) denegandam esse cunctam sacris literis fidem, disertis quidem verbis Matthiam sortitionis ope electum adfirmantibus; statuendam potius aliam et a sortitione longe remotam in ipsa Matthiae apostoli designatione methodum: Cui autem desiderio neque ipsi fecerunt quod satis erat, neque alii, idem forsitan stantes, vnquam satis facere poterunt.

Videntur proinde scriptores laudati confudisse designationem apostoli Matthiae sortitionis ope factam cum ea, qua primis in seculis per peculiare sancti spiritus mandatum ecclesiae ministri co-

optabantur, qua itidem, *Ios. BINGHAMVS Origin. Eccl. Lib. IV. cap. 1. §. 3.* Timotheum designatum fuisse ecclesiae ministrum creditit. Admodum tamen etiam hanc methodum a priori facta per sortitionem differre docet, quem saepius laudauimus *Iosephus BINGHAMVS* locis citatis.

## §. XVI.

Codicem sacrum sequuti nusquam deprehendimus, Deum O. M. Matthiae apostoli designationem instituendam suauis per sortitionem, siue eandem per suffragia sua communiuisse. Equidem exinde euincere non lubet, acceptam Deo prorsus non fuisse hanc designationem. Quod si enim eidem eiusmodi designatio minime arrisisset, certe eandem improbasset, quod autem factum esse non legimus. Neque tamen pro certo quispiam poterit adfirmare, sortitioni huic tamquam optimo eligendi modo calculum ab ipso Deo adiectum; alioquin enim id sacer codex nobiscum communicasset, cuius autem rei nulla extant in eodem vestigia; multo minus autem, Deum visibili ratione apostoli Matthiae designationem comprobasse, id quod iam antea referaturum iuimus. Equidem in *a)* veteri Testamento Deus, facta sortitione diserto eius iussu baculi virentis auxilio Numer. XVII. comprobasse legitur, quod Aaroni demandatum fuerat, sacerdotis maximi munus, (vnde per sortes etiam definiti sunt a Dauide sacerdotes 1. Paralip. XXV. 5.) sed peculiari etiam de causa adhibita haec est sortitio, videlicet, vt organ-

gannire Aaroni tandem desineret gens Israelitarum. Contra in Matthia designando diuersus exitit a casu praecedenti rerum status. Neque Matthias enim designatus iam erat apostolus, quum sortes super eundem mitterent apostoli reliqui, neque ipsa fortitione utebantur apostoli vt animos, indigne ferentes electum, lenirent ac sibi placarent eosdem.

a) De frequentiori fortitionis vsu, quem in V. T. obtinuisse scimus videlicet in sure per sortem exquilito Ios. VII. 18. in sacrificiis instruentis Lev. XVI. 8. in eligendo rege I Sam. X. 20. 21. ordinandis cantoribus I Paralip. XXVI. 7. 8. et Jona propheta per sortem desinito, vt compescendis fluctibus saeuientis maris eidem immergeretur Ion. I. 7. hic dicere non est in animo. Nimis enim tum proluxa euaderet praefens dissertatio, angustis satis cancellis circumscripta. Persequitur in iisdem notatu praecipue digna *Martinus MAURITII de sortitione Ebraeorum Francof. 1694. 8vo.*

§. XVII.

Ex iis, quæ hucusque commemorauimus, abunde iam diiudicare poterunt lectores, vtrum immediata an mediata obtigerit Matthiae vocatio diuina ad munus apostoli. Immediata videlicet vocatio; si eam significat, quae a solo summo numine proficiscitur miraculose sese in eadem manifestante; (quemadmodum v. g. in Mosis vocatione *Exodi* III.) Matthiae dici non poterit; miraculum enim nullum Dei sese reuelantis in ipsa Matthiae designatione locum habere, euicimus iam antea.

Maiori ergo iure nuncupari posse videtur eadem vocatio, *mediata*; nimirum quae ab arbitrio hominum eorumque iudicio pendet. Atque multum profecto in ipsa Matthiae vocatione innitebatur

tur arbitrio et iudicio apostolorum reliquorum. Enimvero pro Matthia et Iusto apostoli facile et alios viros potuissent statuerent, nam bene multi erant, (vt ex ipso Petri sermone liquet Act. I. 21. 22.) ex quibus apostolum deligere quiuissent, licet apostoli potissimum in Iusto ac Matthia ob rationes iam in medium prolatas adquiescerent. Tum etiam erat penes arbitrium apostolorum, quod per fortitionem dirimendum decernerent omne certamen, nam et alia ratione facile potuissent expedire litem. Interim singulari numinis optimi prouidentia factum fuisse videtur, vt missae sortes Matthiam definirent apostolum, vtpote virum omnibus dubio procul requisitis tanti ecclesiae doctoris gauisum. Possset adeoque hoc nomine Matthiae vocatio dici immediata, licet non omni respectu, ceu celeb. C. A. HEYMAN-  
NVS a) videtur statuere.

a) In Dissert. de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum Gotingae 1747. habita §. VII.

### §. XVIII.

Ceterum vix est verosimile designationem per fortitionem in electis deinde ecclesiae ministris iteratum fuisse ab apostolis. In Stephano certe et reliquis diaconis s. bonorum ecclesiae curam gerentibus, constituendis, quorumque nomina nobis exhibentur Act. VI. 5. eorundem ordinatio a designatione probe distinguenda est. Iam enim hi viri erant electi, licet an id per sortes fuerit factum, Lucas haud commemoret; tantummodo, teste sexto huius

huius capitis *commate*, ordinabantur, s. solemniter manu-  
manuum impositionis (*χειροθεσις*) eorundem ele-  
ctio ceteris Christianis declarata simul confirmaba-  
tur.

Validiora autem proferunt argumenta, qui sta-  
tuunt, temporibus insequentibus fortitionis vsum  
in eligendis ecclesiae ministris fuisse omissum. Cun-  
cta enim, quae supersunt nobis monumenta antiqui-  
ora e prioribus seculis, in eo plane conspirant, ne-  
mini nisi Matthiae soli per sortes obtigisse munus ci-  
uitatis Christianae Doctoris. Nullius enim neque  
paginae sacrae neque scriptores ecclesiastici antiqui-  
ores, qui ad aetatem nostram peruenere, mentio-  
nem iniiciunt fortitionis adminiculo in ordinem  
sacrum recepti, si a Matthia discefferis. Insignia  
hac de re sunt HENR. DODWELLI verba *Dissertat.*  
*Cyprian. I. de voce cleri sacri ordinis propria*  
§. 17. a) ac digna, quae inserantur a me et il-  
lustrentur: Sic autem ille, *sortium*, ait, *in*  
*sacrorum ministrorum electione post tempora apo-*  
*stolorum vel nulla extant omnino vel quam paucissima*  
*vestigia. In Cypriano nostro, cum id agit aliquoties*  
*ex professo, ut se, ut alios sui temporis episcopos a Deo*  
*probet esse constitutos, cum ea occasione recenset*  
*omnia, quae essent ex illorum temporum moribus ad*  
*episcoporum constitutionem necessaria, nusquam ta-*  
*men huius sortitionis meminit, quae tamen esset, si*  
*qua illa fuisset, diuini suffragii manifestissimum in-*  
*dicium. Meminerunt et alii episcoporum manifestis-*  
*simis*

*simis Dei suffragiis constitutorum Gregorii Thaumaturgi, in vita eiusdem apud EVSEBIUM Hist. Eccl. Lib. VI. cap. XI. §. 29. et Alexandri carbonarii Gregorius Nyssenus, Alexandri Hierosolymitani Eusebius et Fabiani Romani. De sortitione tamen altissimum ubique silentium. Sed nec Tertullianus, nec Irenaeus, nec Iustinus martyr, nec eorum ullus qui post apostolos sacri ministerii meminerunt, sortitionis tamen ullam faciunt mentionem, cum tamen alia pleraque apostolicorum temporum miracula ad haec usque tempora durasse certissimum sit.*

4) Confer editionem operum CAECILII CYPRIANI a JOH. FELLO Oxon. Episcopo procuratam, quae prodiit Oxonii 1700. eodemque anno recusa est Amstelodami in folio, cui ad calcem sunt subiectae *Dissertationes Cyprianicae* H. DODWELL.

### §. XVIII.

Optimo sane iure ad silentium scriptorum ante commemoratorum prouocare licuit H. DODWELLO, probaturo, ritum Christianae ciuitatis doctores designandi per sortitionem non nisi primo in seculo apud apostolos obtinuisse. JUSTINVS MARTYR, quem seculo secundo circa medium paene vixisse constat, IRENAEVS ac TERTULLIANVS, qui exeunte eodem seculo vivere, atque CAECIL. CYPRIANVS, cuius aetas in medium fere seculum tertium incidit, multam sane in eo collocarunt operam, vt monumenta aevi apostolici, quae seruari intererat, sibi etiam cognita satius proderent memoriae, neque sua culpa traderentur obliuioni. Nullam autem iidem faciunt mentionem forti-

fortium vsus in eligendis ecclesiae ministris post apostolorum tempora. Vnde cum Dodwello efficitur, ministros ecclesiae per fortitionem constitutos non esse nisi primo in seculo; addo eodem ex fundamento, nemini nisi Matthiae munus apostoli per fortitionem obtigisse.

§. XX.

Quae cum ita sese habeant, lectorum facio iudicium, an ISIDORO Hispalensi episcopo fidem tribuere malint statuenti cunctos ecclesiae primaeuuae doctores munera sua per sortem esse adeptos. His autem vitur verbis Lib. II. *de officii ecclesiae Cap. I.* iuxta editionem operum Isidori *Bignaeanae* Paris. 1580. *Cleros, inquit ibidem, vel clericos hinc appellatos doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum, et sic omnes quos illis temporibus ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant.* Vixit Isidorus exeunte demum sexto ac ineunte septimo post natum Christum seculo, adeoque tanta non pollet auctoritate, quanta scriptores aevi antiquioris seculi nimirum primi secundi ac tertii gaudent, e quibus autem vt haec hauserit Isidorus tantum abest, vt potius idem illud suis doctoribus acceptum referre videatur, quod de clericorum nominis origine ipsis debere profiteretur aperte, licet ipsa haec origo plurimum a vero aberret. Vnde conficitur, caute legenda esse Isidori scripta, quod etiam non difficeretur ipse Pontificius L. E. DUPIN ita de iisdem  
D senti-

fentiens: *Nouvelle Bibliothéque des auteurs ecclesiasti-*  
*T. VI. p. 5. Ses propres pensées sont souvent fausses,*  
*et il ne fait pas toujours un bon choix des autres. Il*  
*se contente d'une science superficielle, il n'approfondit*  
*pas les plus trivial, et se trompe assez souvent.*

- 4) Vitae ac scriptorum huius Isidori exhibit epitomen laudatus L. E.  
 D V P I N *Nouvelle Bibliothéque des auteurs ecclesiastiques T. VI.*  
 p. 1 - 5.

## §. XXI.

Effecimus hucusque probanda e silentio scri-  
 ptorum ecclesiasticorum seculum primum excipien-  
 tium. Subiungamus necesse est aliud quoddam  
 argumentum, quod firmandae nostrae sententiae  
 poterit inservire. Videlicet cum LIGHTFOOT  
*Comment. in Act. I. 21. p. 758. n. III. edit. Franeq.*  
 1699. statuimus, designationi apostoli Matthiae  
 per sortitionem non successisse aliam impositione  
 manuum factam. Audiamus ipsum hac de re  
 l. c. ita differentem: *Apostolis, inquit, non licuit*  
*se invicem ordinare per impositionem manuum pro*  
*more initiandi presbyteros; quin id eis sorte obtinere*  
*necesse fuit, vipote qui gradus apostolicos immediata*  
*quasi Christi manuductione adierint.* Neque enim  
 facris e literis probari seu vero saltim simile potest  
 euinci, Matthiae iam apostolo per sortes designato  
 manus deinde ceu presbyteris esse impositas. Re-  
 fert potius Lucas Act. I. 26. quod confestim vbi sor-  
 tes ipsum tetigerant, calculis seu suffragiis commu-  
 nibus vndecim apostolorum numero sit adiectus;  
 neque



neque credere ergo fas est, manuum impositione in ordinem presbyterorum receptos sortitione prius esse designatos, quum et huic sententiae vix ullibi sacri scriptores noui Testamenti sint suffragati.

§. XXII.

Neque vero imus incicias subsequenter in inferioribus seculis quibusdam in ecclesiis inualuisse morem, verbi diuini ministros per sortes designandi. In Hispania praesertim sic fuisse cooptatos ecclesiae ministros a septimo seculo, monumenta quaedam loquuntur. Id autem peculiari canone concilii Barcinonensis exeunte seculo sexto anno DXCIX. celebrati sancitum esse deprehendimus. Canon ipse quum luce perfundat ritus deinde in designandis ecclesiae Hispanicae antistitibus obseruatos, dignus est, quem integrum hoc loco repetamus. His autem verbis canon ipse incedit: *Hoc innouandum custodiendumque in omnibus sancta statuit synodus, ut secundum priscorum canonum constituta vel synodalia epistolas praesulum praemonentes nulli deinceps Laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines, praetermissis canonum praefixo tempore, aut per sacra regalia, aut per consensionem cleri, vel plebis, vel per electionem assensionemque pontificum, ad summum sacerdotium aspirare ac prouehi; sed cum per canonum conscripta tempora ecclesiasticos per ordinem, speciali opere desudando, probatae vitae adminiculo comitante, conscenderit gradus ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore domino prouebatur.*

Ita tamen, ut duobus aut tribus quos ante consensus cleri et plebis elegerit, metropolitani iudicio eiusque coepiscopis praesentatis, QVEM SORS, praeunte episcoporum ieiunio, CHRISTO DOMINO TERMINANTE, monstrauerit, benedictio consecrationis adcumulet. Abunde hinc patet, creditum fuisse, plurimis calculis hac in fortitione notatum peculiare suffragium diuinum fuisse nactum, adeoque sic a Deo immediata ratione fuisse constitutum; patet insuper, ecclesiae ministris per sortem designatis benedictionem consecrationis obtigisse, siue quod idem est, manus iisdem deinde impositas fuisse. Benedictionem enim factam esse manuum impositarum auxilio nobis est perspectum; quam vero Matthiae designato apostolo haud obtigisse supra §. XXI. probatum iuimus.

## §. XXIII.

Ostendere paucis etiam iuuat, a Matthiae per fortes designatione originem non traxisse clericorum nomen. Omnis haec lis ad criticos potius pertinet, adeoque partes historici hic sustinenti vitio mihi sane verteret nemo, si rerum earum cupidos hac de re consulere iuberem scriptores etymologicos. Quum autem nouerim contendere quosdam, clericorum nomen ex Matthiae apostoli per κληρον designatione primis iam temporibus ciuitatis Christianae doctoribus inditum, eorumque sententia vel e monumentis primi post Christum natum seculi queat refelli, eosdem non sine nota hic a me dimitti posse existimo. Res nobis est cum viris alioquin doctissimis

Petro

Petro de MARCA Archiepiscopo olim Parisino, et Iosepho BINGHAMO. Alter eorum putauit, in *Dissertat. de discrimine Clericorum et Laicorum ex Iure diuino* cap. I. §. 3. seqq. apud Christianos diuinis ministeriis peculiari ratione mancipatos Dominum sibi pro κληρω s. sorte professos dictos fuisse Clericos. Itidem concinnam esse ISIDORI Episcopi Hispalensis sententiam existimantis, Clericos instar Matthiae per κληρον designatos. Eosdem enim Dei iudicio, κληρον super eos decidere iubentis, in sacrum ordinem receptos. Idem etiam confirmare Petrum Act. I. 17. dicentem, quod Iudas olim obtinuisset τον κληρον. Verum tamen prius fidem huic sententiae non adhibebimus, donec fuerit euictum, HIERONYMVM in *Epist. ad NEPOTIANVM* fide dignum existere, vbi nimirum persuadere nobis conatur, verbi diuini ministros inde veteribus Christianis audiuisse clericos, quod Deum O. M. pro sorte sua, singulari quidem ad se respectu habuerint. Idem enim nomen sibi etiam eodem iure fideles omnes vindicare potuerunt. Itidem quid ISIDORI tribuendum sit fidei, supra iam euicimus, et quid denique locus Act. I. 17. probet non video. Ex eodem etiam nil potest effici nisi κληρον denotare ministerii sortem s. portionem in ministerio, quod vel ex adiuncta voce Διακονιας facile diiudicari potest. Possit autem aduersus nos forte locus hic valere quidpiam, si sola mentio fieret vocis του κληρου. Alter eorum Ioseph BINGHAMVS *Originum Lib. I. Cap. V. §. 2. seqq.* quem etiam sequitur H. DODWELLVS, e loco quodam CLEMEN TIS ALEXANDRINI apud EVSEBIVM *Hist. Eccles. Lib. III. cap. XXIII.* probari posse arbitratur, apo-  
stolo

stolorum iam tempore clericorum nomen ecclesiae ministris esse inditum. Eundem enim dixisse, *Ioan- nem apostolum, quum post tyranni (Domitiani) obitum ex Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, ut vnum quemque eorum, quos spiritus designaret, in CLERVM cooptaret.* Sed *Clementem hunc Alexandrinum* seculo demum secundo vixisse constat, adeoque exinde coniecere liceret, ecclesiae ministrorum ordinem tum demum nomine cleri fuisse insignitum, quemadmodum et primum apud TERTULLIANVM, quem seculo secundo exeunte et sequenti floruisse constat, κληρικῶς occurrit in *libro de Monogamia*. Praeterea e loco I. Pet. V. 3. vbi Paulus presbyteros vult monitos, ne sint ὡς κατακυριεύοντες τῶν κληρῶν patet liquidius, κληρῶν ibidem significare ordinem populi, quod vel ex opposito cuius facile est intellectu; subiunguntur enim verba ἀλλὰ τυποί γενομένοι τοῦ ποιμανίου. Vnde manifestum, Petrum presbyteros hoc loco monitos voluisse, ne imperium in ordines populi exerceant durum, vtpote quod exercere deceat magistratum quidem, sed minime gregis s. coetus Christianorum antistites ac duces spirituales, quorum potius sit, exemplo sese nunquam non eisdem exhibere. Vtteriori ceterum sententiarum PETRI de MARCA, IOSEPHI BINGHAMI ac H. DODWELLI recensione defungitur V. Cl. ICTUS I. G. PERTSCH in *Dissertatiuncula secunda notionem vocis cleri genuinam exhibente*, cuius prima etiam eiusdem argumenti dissertatio conferri meretur. Ambas dissertationes dedit recusas V. Cl. KIPPINGIUS in *pleniori*

niori assertione nominis cleri, quae prodiit Hanouerae  
1750. 4<sup>to</sup>.

§. XXIII.

Praemissis dilucidatisque monumentis ad Matthiae designationem facientibus, nullo negotio diiudicari poterit, quoniam iure ZINZENDORFIVS comes eiusque doctrinae adseclae apostolos proferant, designationis per sortitionem ritum in eligendis ecclesiae ministris meliori de nota commendasse. a) Equidem in eo non labuntur, vbi statuunt, Matthiam sortitionis ope ad apostoli munus esse euectum; Id ipsum enim est, quod paulo ante multis firmatum iuimus sacri codicis aliorumque scriptorum testimoniis. Sed constabit etiam oppido eosdem falsi, quod si eundem ritum imitatione dignum censeant ex eo fundamento, quoniam persuadent sibi, per sortem designatis a se Deum ipsum ad munus ministri ecclesiae suffragatum, adeoque sortitionem ipsam instar adminiculi impetrandi a numine responsi adhibeant. Quae singula iam exponam ordine licet breuioribus verbis, ne hinc inde dicta repetere velle videar.

a) Lectu hic apprime digna est SVTORII disquisitio haereticos Zinzendorfianae, sermone patrio conscripta, ac inserta *den bevvaehrten Nachrichten der Hernhurischen Secte* V. S. R. I. P. Fresenii Fasciculo II, p. 750. seqq.

§. XXV.

Primo quidem exinde suos ecclesiae ministros designandos esse per sortitionem arbitrantur, quod ipsi apostoli sortitione sint vsi. Sed fugere quoque non poterit eosdem, praeter Matthiam neminem esse

esse cooptatum in numerum apostolorum per fortes. Ceteros enim apostolos sacrae paginae adfirmant vel propria Christi in terris vitam degentis vocatione in discipulorum ordinem receptos, atque deinde prius apostolos euasisse, vel seruatore optimo ad coelos iam regresso ad idem hoc munus miraculose ab eodem vocatos, cuiusmodi designationem Paulo obtigisse e capite Act. IX. adparet. Adeoque si ritum hunc imitatione dignum reddere cupiant, certe producenda ipsis forent vel mandata Christi et apostolorum designationem ciuitatis Christianae doctorum per sortes fieri iubentia; vel ex altera parte demonstrandum ipsis foret, frequentius apostolos hac ipsa fortitione vsos, quae ambo neque e sacris literis neque e veterum patrum monumentis fide dignioribus poterunt euincere. Liceret potius, si ad mandatum apostolorum peculiare foret recurrendum, quo pacto ipsi designationem ecclesiae doctorum institui iusserint, prouocare ad PAVLI verba I Timoth. V. 22. Timotheum hortati, ne ocys manus cuidam imponat, seu quempiam hac ratione in ordinem ecclesiae doctorum recipiat, sin minus praestantiam eius ac dignitatem habuerit perspectam, quam autem per sortes esse explorandam Paulus neque hic nec alibi contendit. Timothei vero ordinationem per *χερσοβεραιαν* administratam I Tim. IV. 14. praegressam esse designationem fortitionis auxilio factam dubium est admodum per commemorata.

§. XXI.

§. XXVI.

§. XXVI.

Deinde vero etiam ipsi perperam fortitionem ipsam adminiculi loco pro obtinendo a Numine responso habent. Neque enim poterunt euincere, apostolos in designando Matthia fortitionem ea de causa adhibuisse, quod per eandem Dei optimi explorandum statuerent suffragium; alioquin enim se ad fortitionem prius quam ad preces contulissent. E contrario autem preces fortitioni praetulerunt apostoli, easque sane maioris fecerunt ipsa fortitione, quod per preces etiam maiorem certitudinem indultum sibi iri persuasissimum habebant. Hinc fortitionem adhibuisse videntur vel ideo, quod per eandem et sacerdotibus in veteri Testamento munera demandata fuisse nouerant, vel ideo, quo facilius litem hac de re futuram componerent. Sed fingamus, apostolos credidisse, fore ut per fortitionem ipse Deus edat oraculum, exinde profecto aduersarii nil minus poterunt conicere, quam idem etiam hoc sibi credendum; apostoli enim ab erroribus utpote mortales immunes non erant, licet is error doctrinae salutari quam profitebantur, noxius haud fuisset.

§. XXVII.

Vidimus supra Matthiam ac Iustum pares omnino fuisse dignitate, qua instructos eos esse oportebat, qui muneri apostolorum grauissimo praeesse cupiebant. Pependerant iidem ex ore seruatoris optimi sane omnium doctoris, hinc doctrinarum salutarium erant gnarissimi, quas etiam ceu *θεοδιδασκῶται* cum quouis scite non minus ac prudenter communicare poterant,

E

terant, atque pari ratione omnes docere erant paratissimi, quod si vel maximum adeundum ipsis fuisset vitae periculum. Iam vero constat inter omnes, candidatos ministerii sacri, quorum gratia sortitionem adhibent ad sedae ZINZENDORFIANAE sectae, doctrinae aequae ac moribus aequales non esse. a) Constat inter omnes, et quis est quem fugiat plurimos eorum qui sortitione cooptantur ab iisdem, doctrinarum reuelatarum quas attamen docere alios audent saepe adeo esse expertes, ut dici verbisque exprimi eorum *αγχαλασσει* nequeat: vel si demum aliquam sibi notitiam earum comparauerint, attamen confuse satis easdem habere perspectas sermones eorum omnes et scripta produnt. Pessimam praeterea notam nonnullos eiusmodi hominum incurrere, immania quae committunt facinora abunde loquuntur, de quibus prolixius dicere non adinet. Insuper eisdem vitae periculo ob doctrinam suam extimescendo terga vertere, et mentiri malle quam adduci se in angustias pati, id extra omnem dubitationis aleam est positum. Interim in eo consentiunt plurimi Pontificiae, Reformatae ac nostrae ecclesiae doctores, admitti posse in designandis ecclesiae ministris sortitionem, dummodo merita utriusque candidati quemadmodum in Matthia ac Iusto ira sint aequalia, ut his alioquin de dignitate eorundem futura alia ratione nisi per sortes dirimi nequeat. Sed rarissime casus hic occurrit; aliquod enim inter eos deprehendi potest discrimen, siue doctrinam siue mores eorundem spectes, praesertim hoc nostro tempore quum admi-



adminicula in diiudicanda aliorum dignitate iam sint plurima, explorandae cuiusdam dignitati maxime idonea et sufficientia.

a) Confer adhaec Alex. VOLCKII *entdecktes Geheimnis der bosheit der hernburgischen Secte* Entr. I. p. 11 - 16. it. p. 26 - 28. Entr. II. p. 74. *seqq.*

b) Laudat scriptores eorumque sententias hac de re verbis eorundem exhibet I. P. LVDEWIG *diff. de sorte suffragatoria ecclesiae*, Cap. IV. §. II.

§. XXVIII.

Quam fraudulenter etiam in sortitione ipsa cum eligendis agat ZINZENDORFIVS comes, testes fide digni comprobant. a) Et plurimum in ipsa eiusmodi sortitione latet ipse haereseos auctor, a cuius nutu, ut in reliquis, sic etiam hic plurima quin omnia ferre pendent. Neque enim quidquam eodem invito et in sortitione fieri licet, et quoties quispiam per sortes fuerit designatus, cui ipse comes forte denegat suffragia, toties quoque sortitionem rei terere confuevit, donec plurimi calculi consenserint in quodam suis machinationibus praestantiori ratione promouendis perquam idoneo. Neque tamen secius perillustri comes pessimas eiusmodi fraudes occultare veretur, perhibens, haec omnia optimo servatori arridere, licet potius ipsi comiti eiusque placitis arrideant, quam servatori nostro, qui pro summa, qua gaudet, sanctitate fraudes omnes detestatur non solum, verum etiam pro summa iustitia grauissimas iisdem olim statuet poenas. Pf. V. 7.

Proinde a vero non aberrarunt, qui comitem reum egerunt, quod nimirum ipsa sortitione glaucoma-

comatis loco vtatur, suis quo satius imponere queat; fraudes enim complures, quas in ipso fortitionis actu commisit comes pericultrus, in lucem sunt protractae e tenebris, quibus circumuoluere easdem fategerat, vt spes me teneat, fore vt blasphemorum adeo moliminum conuictus ad meliorem olim frugem redeat Deum benignam eorundem veniam rogaturus; sin minus iam traditus fuerit reprobae menti Rom. I. 28. seqq. per iustum Dei iudicium.

a) Commemorat fraudes quasdam SVTORIVS l. c. et Alex. VOLKIVS in *entdeckten Geheimniss.* Entr. I. p. 26 - 28.

§. XXVIII.

Quod superest, Deum oramus et obtestamur, qui ministerio sacro de eiusmodi viris numquam non prospiciat, qui vitae sanctitate Matthiam apostolum aemulentur studiosissime, adeoque tum desiderio flagrent, diuini nominis gloriam quauis oblata sibi occasione adaugendi, tum etiam sapientissime vtantur eadem, vt aeternam suorum auditorum promoveant salutem.

Enixis praeterea a numine summo precibus contendamus, necesse est, in messem suam vt protrudere pergat hoc praesertim, quod viuimus, tempore fideles admodum operarios, iniquitati scilicet, caput extollere iam incipienti, forti repugnantes animo felicitique cum euentu.

FINIS.



SVMME REVERENDO ET AMPLISSIMO  
IOANNI CASPARO CARSTED

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IACOBVS BAVMGARTEN.



Annus nondum effluxit integer , ex quo publicas ad  
TE litteras dedi , vt alterius filii solemne tiroci-  
nium TIBI gratulaver , iuuenemque optimae spei  
testimonii mei , si qua est , auctoritate ornarem,  
TIBI que non magis quam aliis commendarem , quem quin-  
que annorum stadium academicum praeclare emensum ante  
paucas abhinc hebdomades reducem habuisti , laboribus publi-  
cis admonendum. Nouam nunc nactus opportunitatem citius  
quam speraueram iterandi gratulationem , committendum esse  
non putavi , vt publicum hoc dexteritatis et profectuum spe-  
cimen a tertio filio editum ad TE perferatur sine officiosa amo-  
ris , quem TIBI TVISque debeo , et voluptatis , quam ex fe-  
licitate TVA capio , significatione , ne vel a me ipse discedere , vel  
filium nihil id meritum fratrique non dissimilem destituere videar.  
Contraham tamen quae vel maxime scribenda habeo bene mul-  
ta , ipsaque laborum quotannis fere auctorum multitudine obru-  
tus breuiter defungar triplici officio , et gratias agendi , et gratulan-  
di TIBI filium , et suffragandi huic illius tirocinio publico. Ac-  
cidit enim ingratis meis , dum mutuis amicitiae et voluntatis  
significationibus dispungendisque nominibus certamus , vt meum  
in rationibus TVIS resederit. Quod ne malum aut tardum au-  
diat , professione saltem publica muneris difficillime referendi a me  
prouidendum esse existimo. Nam vt baud facile fortius obligor  
quam

quam librorum, inprimis rariorum, possessione, quorum primo ordini manuscriptos numquam editos, auctorum maxime autographos, varios plerumque, accensendos esse probe intelligo: ita me TIBI insigniter deuinctum habes libro, annalium coetuum Anabaptisticorum per Morauiam et Hungarium vicinasque regiones dispersorum exiguo quidem sed magni faciendo, quod manu DAN. ZWICKERI, hominis turbulenti variisque saecularum contentionum monumentis famosi, atque has tandem partes amplexi, sagacis tamen et gnauiter curiosi, scriptus est, rerumque nonnullarum memorabilium nusquam obuiarum narratione commendabilis. Quo igitur enixius lubentiusque in gratia habenda elaboro, eo TIBI impensius tertium hunc filium gratulor, ipsamque, qua TE diuinitus fortunatum reddidit, trium liberorum bene merentium et meriturosum atque publicas laudes merito consequutorum felicitatem, quae dudum licet abrogata lege Papia Poppaea neque desuetudine obsolebit, neque nimia frequentia ad vilitatem redibit. Transacto is biennio in Academia Albertina, ubi ex disciplina tam KNVZENII et SALTHENII, rebus mortalium iam ereptorum, quam summe Reuerendorum SCHVLZII, ARNOLDI et MOLDENHAWERI eximie profecit, postquam huc concessit annum tertium laboris academici laudabili virium contentione praeter auditiones hermeneuticas, historiae sacrae et physicas collegarum celeberrimorum, in scholas meas dogmaticas, exegeticas, antitheticas, et disputatorias ita operam insumsit, ut mihi quum assiduam auscultandi proficiendique ardorem tum veri rectique studium et mentem bene animatam approbauerit, atque bonam de se spem fecerit, factamque confirmauerit, et talem se praestiterit, qualem esse eum et TVA et ipsius et mea causa gaudeo. Progressus in bonis literis rerumque sacrarum intelligentia factos ipsa haec dissertatio sine dispendio reliquarum occupationum quotidianarum conscripta abunde declarabit; in qua et optionem et tractationem argu-

argumenti integram ipsi esse volui, ad certiore dexteritatis, profectuum temporisque bene locati fidem faciendam. Nihil igitur eorum, quae hic comparent, mecum communicari poterit, sed omnia ad solum scriptorem referri debent, cui consiliis duntaxat nonnullisque librorum adniviculis subuenire malui, quam lituris, emendationibus aut accessionibus opitulari. Temporis praeterea et breuitatis habenda fuit ratio, cauendumque ne nimium excresceret scriptum, quod satis prolixum fore facile praeuidebam. Quamobrem in ipsa sufficiens scribendorum materia studio continentior fui, quam si latior ipsi campus patuisset amplificandi disputationem ex IOSEPHI SIMONII ASSEMANI Bibliothecae Orientalis Tomo secundo et tertii parte altera, atque EVSEBII RENAVDOTII Liturgiar. Oriental. Tom. I. ac historia patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum ubi multa occurrunt de electione per sortem, quae in coetibus orientalibus Nestorianorum aequae ac Monophysitarum, omnium maxime inualuit atque diutissime obtinuit. Neque hic quidquam eorum commemorabo, quae, si a me retractanda fuisset dissertatio, aliter circumscribenda et efficienda duxissem. Iure enim vereor, ne vel diutius TE distineam vel ipsas operas typographi iam aliquantum tardatas longius morer, quam par est. Quare scribendi finem faciam, si tribus verbis de me recepero, et immortalis DEI O. M. suorumque non immemoris numini enixissime supplicaturum pro IVA TVORVMque incolumitate, et vehementer etiam atque etiam operam daturum, ut filio, cui diuturniorem ad perficienda doctrinarum studia secessum academicum indulxisti, tantum prosim, quantum meae conditionis homo prodesse poterit, et TIBI TVISque officio, voluntate, amore studioque nunquam defuturum. Vale et me meosque TIBI commendatos habeo.

Dedi Halae ad Salam in academia Fridericiana d. XXXI.

Mart. MD CCL I.

DISSERTATIONIS SCRIPTORI  
DOCTISSIMO  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.  
GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE.

OPPONENS.

Quomodo solus in tot amicorum honores TIBI congratulantium numero deesse possum? Nonne indignissimis iure accensendus essem amicis, si gaudium, quod intra pectus sentio, publice nolle testari? In lucem prodis publicam, AMICE CARISSIME, defendendam suscipis dissertationem in testimonium industriae doctissime a TE conscriptam. Mihi prae aliis contradicentis spartam demandare voluisti in consuetudinis, quae nos intercedit, antiquae publicum documentum. Quod si cogito quam sim viribus enervis, rationes video gravissimas huncce subterfugere laborem suadentes; si e contrario amici officia perpendo, argumenta sunt praesto illud dissuadentia; in ambiguo igitur mens haeret. Non tamen possunt non argumenta priora posterioribus superari; amicitiae enim malo satisfacere legibus quam pudore suffusus easdem migrare videri. Suscipio igitur hanc provinciam, nouo molimine vires tentabo, aduersarium agam animo amico, neque de palma reportanda sollicitus ero. TVVM enim est vincere, meum superari. Fultum praesidio viri inuidiosissimi vincere velle multo est ineptius ac si quis cribro aquam hauriret. Honores igitur TIBI non possum non applaudere, qui TE certissime prosequenter, si inuidus et victor ex palaestra recedes. Ipsi mihi fructus exinde expectare liceat iucundissimos; dubia enim, quibus mens mea adhuc dum tenetur, euanescent, major certitudo locum eorundem occupabit, et lumine mens perfundetur exoptato. TV vero AMICE,

TE, se spes saluusque esse perge, quae felicitati TVAE inser-  
uire possunt, TIBI conferat omnium rerum summus ac prou-  
idus moderator. Miranda in dies eruditio TVA incrementa  
capiat; per illud, quod in hacce musarum sede adhuc es con-  
sumpturus, tempus magis magisque praepareris, ut ingentia  
olim societati Christi et eruditorum praestare queas officia.  
Mibi quoque amicus maneat, atque me gratissimum amicitiae  
vinculum nullo modo esse disrupturum, confidas. Vale.

Dabam Halae in Acad. Frider. d. IX. Cal.

Aprilis MDCCLI.

---

Cum TV legitimos SORTIS monstraueris vsus,  
Credo TIBI sortem non cecidisse malam.  
At TVVS hostis ero; cinctus levioribus armis.  
Sponte TIBI victas porrigo, AMICE, manus.  
Sic igitur meritos capies victoris honores;  
O quanto melior fors TVA forte mea est.

Christian. Gottl. Semler.

HALENS. MAGDEB.  
OPPONENS.

---

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
RESPONDENTI

S. P. D.

IOH. FRID. CHRIST. BAVMGAERTNER

BADA · DVRLACENSIS, THEOL. STVD.

Gratulor eximium assiduitatis specimen, quo TE TVA  
gente dignum exhibuisti doctissima. Quid enim aliud  
abs TE, Respondens Doctissime, potuimus expectare,  
quam

F

quam

quam laborum fructum eruditioni adeo conformem. Nemo, quod sciam, rem tot et tantis abusibus obnoxiam vel paucissimis verbis in scriptura sacra significatam accuratius tamque dilucide discussit. Illud tantummodo desiderari posse videtur, quod obiectionem ex providentia Dei desumendam non sustuleris. Deus namque benignissimus omnibus a se creatis vires largitur ac ad omnes eorundem actiones concurrat: ideo ad sortitionem quoque adversariorum Tuorum concurrat numen sanctissimum, eam nimirum moderando atque ad fines optimos dirigendo. Idem fere Salomo Prov. XVI. 33. innuit. In toto scilicet hoc capite curam Dei circa quaevis providam pluribus exemplis illustraverat: hoc vero commate moderationem, determinationem atque directionem fortis tamquam exemplum providentiae adducit, ac indefinite seu uniuersaliter enunciare videtur, quod contra TE, Amice suauissime, maxime faceret. At recte exciperes, supponere haecce bonitatem moralem, quae, secundum doctissime abs TE demonstrata, in sortitione huius seclae locum habere nequit. Absit igitur, ut numen sanctissimum, quod liberrime eligit, ad formale, quod dicunt, actionis malae concurrat. Nihil iam restat, nisi ut Deum T. O. M. supplex adorem, quo TE TVOSque omnes omnigena salute beet: saluum praeterea sospitemque conseruet omnesque conatus TVOS felices esse iubeat, atque fortunet. At enim vero nostrae amicitiae memor sis, Amice Dilectissime, rogo enixissime. Si quid in me est TVA amicitia dignum, me amare perge. Ego nunquam non TVI amici coniunctissimi summa cum voluptate memoriam recolam.

Dabam Halae. Kalendis Aprilis. 1751.





154071

AB: 154071

ULB Halle  
003 902 811




3

82

1078  
Vb 17







DISSERTATIO THEOLOGICO HISTORICO MORALIS  
SISTENS  
**MINISTRORVM ECCLESIAE  
APVD VETERES CHRISTIANOS  
OPE SORTITIONIS DESI-  
GNATIONEM.**

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
LONGEQVE CELEBERRIMO  
**SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN**  
S. S. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL. ORD.  
SEMINARII THEOL. DIRECTORE, MENSARVM REGIARVM EPHORO, ACAD.  
SCIENT. QVAE BEROLINI EST SODALI  
PRAECEPTORE PRAECLARE MERITO  
FAVTORE OMNI QVO PAR EST OBSEQVIO  
AEVVM PROSEQVENDO  
PVBICA IN DISQVISITIONE  
D. APRIL. MDCCLI. INSTITVENDA DEFENDET  
AVCTOR  
**FRIDERICVS WILHELMVS CARSTED.**  
POTSTAMPIENSIS MESO MARCHICVS. SANCTORVM DISCIPLINARVM STUDIOVS.

---

HALAE PROPTER SALAM,  
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

